

ptitæque extortam fore, & eſſe ac cenſeri, & haberi, neminique vllatenus ſuffragari debere: præſentæque Litteras, de ſubreptionis, obreptionis, ac nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ, ſeu quocumque alio quantumvis ſubſtantiali, & expreſſam mentionem requirente, defectu, aut ex quocumque titulo, prætextu, cauſâ, & occasione, & Capite etiam in Corpore Iuris clauſo, notari, impugnari, redargui, reſcindi, ad viam & terminos Iuris reduci, vel aduerſus illas reſtitutionis in integrum, aperiſionis oris, vel quodvis aliud Iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam Motu ſimili conſeſſo: quempiam in iudicio, vel extra illud, vti minimè poſſe; ſed eaſdem præſentes ſemper & perpetuò validas, firmas, & efficaciſſimas exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus fortiri, & obtinere: ſicque, & non aliter in præmiſſis per quocumque iudices Ordinarios & Delegates, etiam cauſarum Palatii Apoſtolicæ Auditores, ac eiufdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quosvis alios quacumque poſteſtate fungentes, nunc & pro tempore exiſtentes, ſublata eis, & eorum cuiſlibet, quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, & iudicari, & deſiniri debere, ac irritum & inane, ſi fecerit ſuper his à quocumque quavis cauſâ ſcienter, & ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſlibet Apoſtolicis, & præſertim ſel. recordat. Gregorij XIV. vna quæ incipit: *Eccleſiæ Catholice ſub Data 28. Iunij, & alia quæ incipit: exponi nobis Data 30. Auguſti 1591. Pontificatus ſui anno primo. Et Pauli V. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, quæ incipit. Quantum Religio Societatis IESV de Anno 1606. Pontificatus ſui Anno 2. aliiſque in fauorem dictæ Societatis, vel circa illam, ſeu eius regimen, ac etiam in Vniuerſalibus, Prouincialibuſque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, de non tollendo iure quaſito: nec non prædictæ Societatis, etiam iuramenta, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, eidem Societati, illiſque ſuperioribus & perſonis, ac locis quibuſlibet, ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliſque efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conſeſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis, tenore, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quavis alia expreſſio habenda, ſeu alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenore huiſmodi acſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, exprimerentur, & intererentur, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliâs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter & expreſſè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus au-*

tem vt præſentium, tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ alicuius in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud D. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 1. Ianuarij 1646. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Marcus Ant. Maraldus.

Ecce notabilis illius Conſtitutionis vigentiſimum vndequaue tenorem, circa quam nonnulla oportet diquiramus. Sit ergo

S. I.

De conuenientia dictæ Conſtitutionis.

40 Pontificia eſt, ex certâ ſcientiâ, motu proprio, ac maturâ deliberatione, auditis Congregationis Patribus, & deque Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis. Quis ergo de illius poſſit conuenientiâ dubitare? Miramur equidem nobis inſolitam, & ita penitus inſperatam. Accipimus tamen ſupernam ordinationem, etiamſi contra ordinem proceſſiſſe videatur. Vbi audiendus Diuus Bernardus *Epistoła 276. ita ſcribens Eugenio III. Pontifici: Ordinatiſſimum eſt, minus interdum ordinari aliquid fieri. Clauſe veſtras, qui ſanum ſapunt, alteram in diſcretionem, alteram in poteſtate conſtituunt.* Sic ille: ſed quia diſpoſitiones huiſmodi iuxta informantium ſolent teſtificationem oriri, & cauſa, de quâ agitur, humanum aliquid pati ex prædicto fundamento potuit: quandoque accidit, vt conſtitutio aliqua, etiam poſt deliberationem ſeriam, minus conueniens, aut verò etiam diſconueniens oriatur. Pro quo idem ad eundem ita ſcribit *Epistol. 18. Idem. Habere bonum, iuſtum, & bonæ ſamæ Cancellarium Apoſtolicæ dignitatis non modica pars eſt; Apoſtolicæ adminiſtrationis non paruum adminiculum eſt: Apoſtolicæ conſcientiæ non modica cuſtodia eſt. Semper quidem notabilis Conſtitutio perniciôſa; ac poſt longam deliberationem, etiam turpis. Hæc Diuus Pater omnium Patri. Sicut ergo intimè adſtantis alicuius vitio Conſtitutio notabilis, & ita perniciôſa prodire poteſt; ita & aliorum non vera ſuggerentium: à quo malo neque ipſa Apoſtolica Sedes exempta reperitur. Vnde Goffridus Abbas Paſchali Pontifici ita loquitur *Lib. 1. Epistol. 8. Sed ſi Deus vitam & proſperitatem mihi conſeſſerit, vſque ad ſeſtinitatem S. Clementis, beatam ſacram veſtram viſitabo de Abbate, & de Monachis B. Albini inſtitiam accepturus: & quia Venerabilis memoriæ Dominum Papam Urbanum deceperunt, multis auctoritatibus Sanctorum Romanorum Pontificum probaturus. Ipſe poſtea Dominus Papa, viſis priuilegiis noſtris ſe fuiſſe deceptrum aſſeruit, & auctoritate priuilegij ſui, quod contra nos fecerat, ita retractauit, &c.* Pro eodem ita ſcribit Honorio Diuus Bernardus *Epistol. 46. Iam Regis (Ludouici Francorum) Flexerat iram humilitas, vel potius conſtantia Episcoporum: cum ecce à Summo Pontifice ſumma ſuperueniens auctoritas, (heu) deiecit conſtantiam, ſuperbiam ſtatuit. Scimus quidem**

Conuenientia Conſtitutionis admittitur, licet vt inſolita ſuſcipiatur. D. Bern. Conſtitutio aliquando perniciôſa, ex informantium vitio. Goffridus Abbas. D. Bern.

quidem id vobis per mendacium fuiſſe ſubreptum, ſed quod ex veſtris Litteris palam datur aduerti; vt euerſi tam iuſtum, tamque neceſſarium interdichum iuberetis. Sic ille.

Contra modum gubernationis in Societate à multis oblatum.

41 Quod autem circa Conſtitutionem dictam aliquid huiſmodi accidere potuerit, non erit temerarium ſuſpicari. Iam enim ab ipſo Societatis exordio contra illius gubernandi modum multa excogitata ſunt, multa etiam dicta, nec ſemel apud Sedem Apoſtolicam actum, vt circa illum noua forma poneretur. In cuius confirmationem, vinum ſit fatis teſtem exceptione omni majorè produxiſſe, ſcilicet Gregorium XIV. qui in Bullâ, quæ incipit, *Eccleſiæ Catholice ſub Dat. 28. Iunij 1591. ſic loquitur: Quamuis enim præſata Societatis inſtitutum iam inde ab eius primordijs fuerit ſel. recordat. Paulum Tertium, & Luolum etiam Tertium, Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros approbatum; & ſel. recordat. Gregorio XIII. etiam prædeceſſore noſtro, primò per eius quaſdam Litteras ſub Dat. Kalend. Februarij, Pontificatus eius Anno undecimo: deinde copioſius per Conſtitutionem, quæ incipit *Aſcendente Domino, confirmatum; nihilominus tamen non ſidèro deſerunt, qui adhuc ſubzeli, & bonæ ſpecie, aliqua ex ipſis, quæ in dictis Pontificis approbationibus, & confirmationibus continentur, & alia etiam, quæ ad Inſtitutum, & rationem gubernandi dictæ Societatis pertinent, variis modis impugnare: quin etiam apud præmem. Sixtum PP. V. prædeceſſorem item noſtrum, oblatiſſis libellis, & variis excogitatis modis traducere & calumniari, atque ut ea, quæ conſulſiſſimè ſancita erant infringentur, conari veriti non fuerint, inſtantes &c.* Sic Pontifex ille diuturniore ſeſſione digniſſimum: illis autem ſimilia Innocentio ingeſta, extra omnem eſt dubitationem: ex quibus licet plura reiecerit, alia benigniſſe excepta, ex eorumque conſideratione factus eſt Conſtitutionis prædictæ ad Societatis bonum vt ipſi viſum, eſſormatus. Eſt ergo fundamentum non leue ad iudicandum quòd tanta non ſit conuenientia in illâ, vt oppoſitum non poſſit conuenientius iudicari.*

Greg. XIV. pro eo teſtimonium.

Efficax argumentum pro minori conuenientia Conſtitutionis ex Pontificia auctoritate deductum.

Gregorij XIV. Conſtitutio.

42 Pro quo quidem ſtat communis Societatis ſenſus, cui ea, quæ ad ipſam ſpectant meliùs quàm aliis exteris obſeruatoribus, perſpecta ſunt. Deinde argui poteſt argumento, quo vtitur Gregorius XIV. in præſata Conſtitutione, in quâ ſic loquitur: *& quoniam neque tranquillitati, nec firmitati huiſmodi Ordinum proſpectum eſſe poterit, niſi eorum Inſtituta firmiter inconcuſſa ſeruentur iſdemque modis feliciter progrediantur & creſcant, quibus à Fundatoribus, Domino inſpirante, atque hac Sanctâ Sede approbante, primùm fundati ſunt; neceſſarium duximus ea, quæ ab IGNATIO huiſmodi Ordinis Fundatore ordinata, & à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, circa eiufdem Societatis Inſtitutum ſancita ſunt, Apoſtolicæ firmitatis munimine dequò roborare.* Sic ille: cuius ratio magni eſt proſpectò momenti: cum enim conſtet Societatem eo gubernandi modo, quem à Fundatore Sanctiſſimo accepit, feliciter progreſſam excreuiſſe, Sanctâ illum Sedem approbantes, & eiufdem conſeruatione ex huiſmodi natiuis Inſtitutis ritè obſeruatibus pendere: manifeſtum eſt gubernationis originariæ modum magis conuenientem eſſe quouis alio, quem velint nouitatum amatores interduci. Quo argumento vtitur Nauarrus variis in

locis, ex quo Fr. Ludouicus Miranda in *Manuali Tomo 2. q. 6. art. 6.* probans nouo genere gubernationis inducto per Apoſtolicas Conſtitutiones à nouatoribus impetratas, ſtatù Religioſi euerſi.

43 Præterea vrgere poſſumus ex Conſtitutione Pauli V. quæ incipit, *quantum Religio*, in quâ contra aliquos gubernationi Societatis inſenſos, eam approbat prout à quinta Congregatione fuerat inſtituta, nolens circa illam quidquam immutari. Eſt autem tali gubernationis modo valde contraria Innocentij, de qua loquimur, Conſtitutio: vnde illius ſpecialiter meminit, vt ex adducto tenore conſtat. Sed iam audiendus Paulus ſic locutus: *Nos igitur certò ſcienter totum ſanctæ huius, & nunquam ſatis laudatæ Religionis ſtabilimentum & proſectum, in viridi Inſtituti ipſius, & Decretorum ſuper hoc in Generalibus Congregationibus eiufdem Societatis edictorum obſeruantia conſiſtere: illamque ab huiſmodi, & aliis impugnationibus, moleſtiis, calumniis, ac illorum inueniendis vendicare, & in ſui Inſtituti puritate, integritate, quiete, ac pace conſeruare, quantum cum Deo poſſimus, cupientes, &c.* Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, ac merâ deliberatione noſtris, & deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, laudabile dictæ Societatis Inſtitutum &c. Nec non ſupra dicta, & quæcumque alia Decreta, Statuta, & Ordinationes, quæ Inſtitutum, & Societatem huiſmodi, illiſque gubernandi rationem quomodolibet concernunt, in Generalibus Congregationibus edita &c. perpetuò approbamus, & confirmamus &c. Hanc ergo grauiffimam pro conuenientia gubernationis in Societate vigentis jam pridem Pontificis tanti ſententiam quis dubitare poſſit veritati ſubnixam, cum ipſe aſſerat ſe certò ſcire ab eius & aliorum obſeruatione, progreſſum Societatis eiufdem, ſtabilimentumque pendere? Illius ergo mutatio non poterit non eidem perniciôſa deprehendi.

Aliud ex Conſtitutione Pauli V. ſaris vrgens.

Euaſio ex ſtatù verâ mutatione præcluſa, ex Innocentij X. auctoritate.

44 Vbi illud tantum videretur dici poſſe, res non eſſe in eodem ſtatù, & ita Innocentium ob noua inconuenientia potuiſſe aliter iudicare. Id tamen non eſſe admittendum ex ipſius Innocentij verbis venit aperte comprobandum: ipſe enim ait Societatem viris pietate & doctrinâ inſignibus reſertam, vberes in Vineâ Domini fructus iugiter producere. Eſt ergo eadem, & nihil ab illa mutata, quam priores honorare Pontifices, & ſtabilire, nec non internâ pace, ac tranquillitate frui volentes, cum modo gubernationis in eadem vſitato pariter approbarunt. Sic viros inſignes pietate & doctrinâ progenuit, totque illos, reſerta eidem à Pontifice aſſeratur. Sic vberes fructus in Vineâ Domini iugiter producit. Ergo modus gubernationis priſtinæ nihil incommodare potuit, neque nouum aliquod inconueniens emerſit, quod fuerit neceſſarium beneficio nouitatis amoueri. Neque vis aliqua in eo fieri poteſt, quòd Pontifex auditâ Patrum Congregatorum ſententiâ ſic ſe ſtatuiſſe pronuntiet. Neque enim ait ſe eam ſecutum; licet videntès eum in id prorſus incumbentem, morem geſſerint, & vacationem aliquam in gubernatione perfunctis approbarint. Et Pontifex quidem biennalem eſſe vacationem volebat, Patres annalem ſufficientem iudicabant. Mediam ille amplexus viam, ſeſqui annalem ſtatuit. Quam autem diuerſa fuerit Societatis ſententia, ex quintâ Congregatione



gregatione conſtat, cuius Decreti tenorem Paulus V. in citata Conſtitutione cenſuit inferendum. Vnde aliorum aliter forſitan ſententiarum ratio non habenda, de quibus id præferri non immerito poſſit, quod dicta Congregatio his eſt verbis proteſtata: Non dubitantes libellis ſcriptis, atque ad Summos Pontifices tranſmiſſis ſubſcribere his verbis: ita petens tota Societas: cum tamen in paucis eſſent, & denegantes ſibi noſtra Religionis. Hæc & alia ibi.

Inconuenientia nulla reſpoſa exiſſe, que tamen in mutatione.

Spem reuocationis auſpicere.

A Clemente VIII. Decretum Paulus V. abrogauit circa materiam præſentem.

Decretum Congregationis cum petitiuari obſeruatione.

Pro Indijs eo necſa diſpenſatio.

45. Nulla ergo inconuenientia reſiſta exiſtunt, vt oportuerit modum gubernationis immutari: cum tamen reuera ex mutatione non pauca nec leuia fuerint deprehenſa. Et ſi ſperare iuuat Apoſtolicam Sedem per reſtitutionem in integrum Societati pleniffimè ſubuenturam. Vnde & cum in Congregatione Generali quintà decretum fuiſſet triennium pro omnibus Superioribus, cum annali vacatione, exceptis Reſtoribus Domorum Probationis, & Seminariorum, (hoc enim addit P. Suarez Tomo 4. de Religione Tract. 10. Lib. 10. Cap. 4. num. 20.) & cum aliquis id munus eſſet Provincialis eligendus: quod item P. Suarius addit, vt patet ex Decreto 64. quia id Clemens VIII. ſibi placitum ſignificauit, à Paulo V. eſt paucis poſt annis penitus reuocatum. Vbi notandum occurrit de hoc nullum factum à Congregatione Decretum, ſed ita tantum ab eadem additum: quæ omnia Congregatio reuerenter audiuit, & debita cum ſubmiſſione, obedientiâ, atque animorum promptitudine complexa eſt. Et quod plus eſt, Decretum contrarium circa hoc iam formatum omnino reuertentem; quod ſic habet, poſt neliſio cuius petitionem, qui aduerſum aliud expetebat: Deceſſit autem Congregatio nullum certum tempus præſigendum, ſed ſeruandum eſſe Decretum 87. Congregationis 2. generalis. Et nihilominus Congregatio vehementer commendat P. Præpoſito, vt diligenter curet, ne Præſectura iſta Societatis nimis diuturnæ ſint, aut prolixè continentur. Sicibi. Non eſt ergo viuum Patribus Decretum illud prius reuocare, licet non executioni mandandum, ſtante obedientiâ, quam ſignificatæ voluntati Pontificis promptiffimè cenſuit exhibendam. Sperabat enim venturum citò aliam, qui prius illud, ſicut & alia, vt verè accidit, reuocaret: poſt quadriennium ſcilicet, ſecundo Pontificatus Pauli V. anno, qui fuit 1606. & reuocationis ſimilis feliciter futura non leues extant coniecturæ, ac præfertim pro Indijs: iam enim à Sanctiſſimo Dom. Alexandro VII. diſpenſatio ad ſeptennium eſt conceſſa, non obſcurè ſignificante conceptionem perpetuam indultorum, ſi nouum aliquod inconueniens ex abulu diſpenſationis, quod equidem præſumi nequit, non fuerit deprehenſum: vt R. P. Generalis ſuis literis Indiæ Prouincijs intimauit.

S. II.

An Conſtitutio dicta ſit fauorabilis, vel odioſa.

46. Fauorabilem eſſe prima illius verba videntur oſtendere, quibus Pontifex proſpero ac felici ſtatui Societatis ſe velle conſulere

profiteretur. Quid enim fauorabilius excogitari poteſt, quàm id, quo proſperitas ac felicitas accuratur? Deinde, ex eo quòd viris doctriâ ac pietate inſignibus fauere intendit, vt ſcilicet illi partem in gubernatione habere poſſint, ad pauciores per voluntariam, & penitus arbitriam Generalis designationem, non arctata. Et quidem ex fine legis iudicandum eſt an lex fauorabilis ſit, vt docti tradunt, quorum ſententiam nonnullis citatis, adducit P. Suarez Lib. 5. de legibus Cap. 2. numer. 4. Vnde licet grauamen aliquod ſit adnexum, ex eo non deſinit talis eſſe, ſicut eſt contrario. In caſu autem noſtro intentione Pontificis non eſt primario in grauamen aliquod Societatis directâ, quia talis intentionis nullum eſt in exordio aut progreſſu Conſtitutionis indicium, cum tamen fauoris ſit intentio manifeſta; quòd ſcilicet viri pietate & doctriâ inſignes, quibus Societas referata eſt, parte gubernationis honorentur. Quod etiam aliunde probari poteſt: nam iuxta dicta negari nequit quin Conſtitutio noſtra fauorem contineat, licet aliunde grauamen inducat: eo autem ipſo quòd fauorabilis ex prædicto capite ſit, debet abſolute cenſeri talis, vt centent non contemnendi Doctores, quos refert Tiraquellus in Præſatione ad Retractum 4. num. 66. quia eadem lex nequit eſſe ſimul fauorabilis & odioſa: id enim quòd videtur odium, reſiſta fauor eſt, quia propter fauorem ſtatuitur, & non propter ſe. Vnde odium reſtringendum eſt, vt fauor amplietur. Et ex hoc apparet non poſſe Conſtitutionem ſimul eſſe fauorabilem & odioſam: tum quia fauor debet præualere, iuxta Regulam noſtram in 6. Odia reſtringi, & ſaniores conueniunt ampliari. Ergo ita ampliandi ſunt, vt vbi fauor eſt, lex nullo modo odioſa, ſed fauorabilis debeat abſolute iudicari. Tum etiam quia odium ipſum ſpecies fauoris eſt, dum in bonum & commodum alicuius ordinatur. Vt ex ſe patet. Quod etiam ex doctriâ P. Suarij roborari poteſt citato Capite num. 12. vbi ait ad intelligendum an lex fauorabilis ſit, vbi odium aliquod interuenit, prudenter penſanda eſſe omnia ſcilicet intentionem legiſlatoris, rationem boni communis, & alias circumſtantias materiæ & verborum, quæ quidem in caſu noſtro videntur concurrere: de intentione enim & ratione communis boni in Societate iam vidimus: verba item fauent, & circumſtantiæ ſuffragantur; cum ſciamus Pontificem ad condendam legem prædictâ aliquorum poſtulationibus fuiſſe permotum, quibus gratificari voluit, conuenientiam in eo, quod ſtatuit, non modicam arbitrat. Præterea. Idem Doctor eximius num. 13. docet, cum fauor excedit, pro illo eſſe abſolute iudicandum, & legem ſimpliciter eſſe habendam fauorabilem: quia lex per ſe & ſponte ſua inducit fauorem, odium verò quaſi ex accidenti & coactè ob neceſſitatem: id autem quòd eſt per ſe præfertur ei, quòd eſt accidentarium, ceteris paribus. Et idem aſſerit dicendum quando fauor & odium æqualiter ſe habent, ſiue tamquam excedens & exceſſum, vel res dubia eſt. Quòd quidem in caſu, de qua agimus, videtur propter rationes dictas ſaltem aſſerendum.

47. Vt verò Conſtitutio iſta odioſa cenſenda ſit in primis facit eſſe contrarius commune Societatis,

deantur oſtendere.

Ex fine legis fauor agnoscitur.

Et ex eo præſe quòd fauorem contineat, licet odij aliquod videntur admixtori.

Ex concurrentiâ iſtius multorum, ex P. Suariorio.

Quia odium non excedit.

Vel res dubia eſt.

Quæ odioſa probet Conſtitutionem.

Societatis, vt eſt compertum: ex quo ſit reſtringendam illam, vt patet exemplis ex Iure adductis à Gloſſa in Cap. Odia. de regulis iuris. Deinde, Doctriâ multorum afferentium, quando lex grauamen aliquod inducit, ſimpliciter cenſendam eſſe odioſam; etiam ſi fauorem aliunde contineat: quod ex eo oſtenditur, quia ſimpliciter fauorabilis dici nequit: bonum enim ex integra cauſa: cum tamen odium rationem mali habeat: ergo eſt ſimpliciter odioſa dicenda, quia malum ex quocumque defectu. Tum etiam quia fauor ipſe rationem importat odij, cum cedat in alterius præiudicium; vnde nequit reſpectus fauoris puri præſcindi. Quod in caſu noſtro facile oſtendi poteſt: hoc enim quòd eſt in fauorem virorum pietate ac doctriâ inſignum, ſine reſpectu ad grauamè nequit concipi: non enim illis ſimpliciter conceditur vt partem in gubernatione habere poſſint, hoc enim ex ſe habent; ſed vt non impediatur eorum aſſumptio ad Præſaturam aſſignatione repetitâ, & nunquam ceſſante aliorum, qui pro arbitrio Generalis eliguntur: hanc autem non impeditioem, in præiudicium cedere poteſtatis illius, ſatis eſt compertum. Pro quo videri poteſt Tiraquellus ſuprà num. 65.

Aſſertio 1. Eſſe aliquo modo fauorabilem.

Aſſertio 2. Eſſe item aliquo modo odioſam.

Aſſertio 3. Parui eſſe momenti diſcrimen circa illud.

Aſſertio 4. Eſſe abſolute odioſam.

Ex lege de exheredatione feminarum licet eulenter oſtenſum.

48. Dico primò. Negari nequit Conſtitutionem dictam fauorem aliquem continere, & ita etiam fauorabilem aliquo modo dici poſſe. Conſtat ex dictis, num. 46.

Dico ſecundò. Odioſam eſſe negari nequit. Conſtat item ex nuper adductis, & ex Societatis ſenſu, quæ grauamen ex illa ſatis ſibi moleſtum experitur.

Dico tertio. Diſcrimen, quod circa hoc eſſe poteſt, parui videtur eſſe momenti. Id probò. Nam ſi momentum aliquod haberet, id eſſet ratione interpretationis, quòd ſcilicet ampliari, aut reſtringi poſſit: atqui hoc fieri poteſt eodè modo, ſiue vno, ſiue alio pacto loquamur: ergo diſcrimen nullius momenti eſt. Maior eſt certa ex communi Doctorem ſenſu circa Regulam adductam, Odia reſtringi &c. & Minor oſtenditur: nam etiam ſi dicatur fauorabilis, ex eâ etiam parte, quâ odium continet, reſtringenda eſt, ne odium aliquo ex capite augeatur: & fauor, ſi quis eſt, ſimiliter ampliandus, iuxta eandem: ergo ſiue vno, ſiue alio loquamur modo, eadem ſtare interpretatio poteſt.

49. Dico quartò. Conſtitutio noſtra abſolute dicenda eſt odioſa. Hoc probant adducta num. 47. & præterea oſtenditur ex communi, vt paulò ſuperius dicebam, Societatis ſenſu. Deinde quia eſt reuocatoria fauorum, qui in Bullis Gregorij XIV. & Pauli V. circa ea, de quibus agit, ſpecialiter continentur. Item, Nam totus illius tenor ſolus prohibitiones, ceſſationes, pœnas, cum extraordinarijs clauſulis prementibus & vrgentibus præſert: cui non obſtat id, quòd de viris pietate ac doctriâ inſignibus eſt præmiſſum. Quòd probari efficaciter poteſt ex lege, per quam feminæ excluduntur ab hereditate: quam communiter Doctores dicunt odioſam; licet mafculorum fauor per eandem intendatur: vt videri poteſt apud Tiraquellum ſuprà num. 64. addit autem rationem P. Suarez num. 12. citato, quia fauor ille priuatus eſt, & non admodum neceſſarius, neque ad pacem & honeſtatem morum

multum vtilis. Quæ quidem pro caſu noſtro aptè conſonant: priuatus enim fauor eſt, vt ſcilicet aliqui locum in gubernatione reperiant: neque enim de omnibus pietate & doctriâ inſignibus dubitari poteſt, cum conſtet communiter tales ad gubernationem aſſumi. Quòd autem fauor iſte non admodum neceſſarius ſit, ex eo liquet, quòd ſine illo diu Societas floruit, & ex illius conſeſſione non eſt reddita fruſtuoſior. Pro quo videnda quæ diximus num. 44. Non eſt demigre ad pacem & honeſtatem morum multum vtilis, vt eſt experientiâ deprehenſum. Et vti nam non plus incommodi quàm vtilitatis attulit.

50. Vrgeo inſuper ex doctriâ Emmanuelis Roderici Tomo 1. qq. regular. queſt. 11. artic. 6. ſ. Sexta regula, in fine, vbi Conſtitutiones, & extrauagantes, quæ præcipiunt aliquid executioni mandari, quòd à iure communi præcipitur, aliquas pœnas & cenſuras addendo, odioſas debere iudicari; cum reſpectu talium pœnarum & cenſurarum à terminis iuris communis egrediantur. Ex quibus euident in cauſâ noſtrâ conſtituitur argumentum. Nam ſi Conſtitutio iuri communi conformis, ex eo quòd pœnam addat, debet odioſa cenſeri: ergo multò magis illa, quæ iuri communi conformis non eſt, qualis eſt ea, de qua agimus, Iuri Societatis, ab eius institutione firmiſſimo, apertè contraria. Videatur citatus Auſtor bene aſſerens circa hoc non poſſe certam regulam aſſignari: vix enim lex aliqua odioſa reperiri poteſt, quam non Doctores aliqui fauorabilem arbitrentur, ſicut eſt contrario: vnde & ille legem Canonis circa percussores Clericorum, quæ communiter cenſetur fauorabilis, odioſam reputat: id quòd iuxta citatam illius doctriam conſequenter aſſerendum. In caſu ergo noſtro licet deſuturi non ſint, qui Conſtitutionem fauorabilem exiſtiment, nobis certè ſatis eſt verofimiliter philoſophari, vt interpretatio accommodari poſſit, quæ non debeat inueroſimilis æſtimari.

51. Tandem arguo ex eo quòd à Sanctiſſimo Dom. Alexandro VII. diſpenſatio ſeptennalis pro Indijs conceſſa eſt, ſicut & breuior alia pro Europæ Prouincijs. Diſpenſatio autem ſpecialis fauor eſt, & beneficium Principis: pro quo videndus P. Thomas Sancius Lib. 8. de Matrimonio Diſputat. 1. Ex quo ſit Conſtitutionem; in qua diſpenſatur, non eſſe fauorabilem, quia fauor fauori non eſt contrarius reſpectu eius, cui ſit. Et verò Sanctiſſimus ſic diſpenſans, vt per Litteras ex Vrbe ſcribentium accepimus, vbi primum in Sedem eſt ſummæ Potèſtatis euectus, Patribus Societatis noſtræ benignè polliceri dignatus eſt, ad futurum ſe Societati fauore ſuo in ordine ad ea, quibus ſe à Prædeceſſore ſuo gratatam ſentebat. Non ergo ille fauorabilem ejuſdem Conſtitutionem, ſed grauaminibus plenam, & ita odioſam arbitratur. Iuxta hæc ergo ita interpretanda eſt vt grauamen non augeatur, ſed arctetur; quòd iuxta dicta eſt; vnde in caſibus ſingularibus non erit operoſum iudicare.

Vrgetur pœnis, & cenſuris.

Notanda ex Emmanuele doctriâ.

Ex diſpenſatione ſeptennali circa Indos arguitur, & Alex. 7. iudicio.